



## De magno quodam et recenti opere eucharistico.

Intelligimus opus, cui titulus »Mysterium fidei« auctore P. de la Taille S. J. professore cursus magisterii in Pontificia Universitate Gregoriana.<sup>1</sup> Est thesaurus theologiae eucharisticae ditissimus continens genuinam doctrinam Patrum et s. Thomae admirabili eruditione indagatam, magna vi ingenii lucide expositam et ad unitatem systematicam, ut ajunt, redactam. Rebus omnino notis et iam satis elucidatis relictis ad profundiora se convertit, quae ita exponuntur, ut non solum intellectus erudiatur, sed etiam cor ad pietatem moveatur. »Est enim,« ut legimus in operis praefatione, »theologia scientia quaedam speculativa veritatis revelatae, sed eatenus revelatae, quatenus conduceret ad finem fovendae pietatis«. Veritates propositae, modus proponendi, ingeniosa et genuina s. Scripturae explicatio, maxima multitudo locorum e Patribus et Liturgiis pulcherimorum, imagines additae piissimae super totum opus singularem unctionem effundunt.

Quum nemini, qui rei eucharisticae peritus esse voluerit, ias sit, huius operis doctrinam ignorare, gratum erit, si eam brevissime exhibemus. Hoc modo, qui opus non vel tantum ex parte legere poterit, aliquam totius tractatus notitiam habebit; qui autem leget (et unicuique qui poterit, maxime hoc suadendum est) universitatem totius doctrinae ante oculos habens, singulas partes melius perspiciet.

Eucharistia est sacramentum et sacrificium. Ut sacramentum est participatio sacrificii eucharistici, sacrificium nostrum eucharisticum est renovatio sacrificii Christi. Propterea

---

<sup>1</sup> Mysterium fidei. De augustissimo corporis et sanguinis Christi sacrificio atque sacramento. Elucidationes L., auctore Mauritio de la Taille S. J. nuper in universitate catholica Andegavensi, nunc in Pontificia Universitate Gregoriana de Urbe sacrae theologiae lectore. Parisiis, Beauchesne 1921. fr. 50.

agendum 1<sup>o</sup> de sacrificio Christi, 2<sup>o</sup> de sacrificio ecclesiastico, 3<sup>o</sup> de sacramento.

### 1. De sacrificio Christi (Elucidationes 1—15).

Sacrificium in genere est signum sacrificij interni, scilicet dedicationis hominis ipsius Deo creatori et ultimo fini debitae, est donum, quod ad hanc subjectionem Deo debitam manifestandam in ejus proprietatem transfertur. Tunc tantum sacrificium proprie dictum habetur, si donum aliquod realiter traditur et quidem ita, ut haec traditio et donatio sensibiliter manifestetur. Destructio doni per se non ad rationem sacrificij requiritur, convenit tamen mactatio animalis, immolatio, sacrificio propitiatorio. Immolatio, etsi plerumque cum oblatione conjuncta invenitur, tamen probe ab illa distinguenda est. Potest alia ab alio peragi: sic in sacrificiis Hebraeorum immolatio saepe fiebat ab homine laico, oblatio autem semper a sacerdote, praesertim per effusionem sanguinis ad altare; in sacrificio Christi oblatio ab ipso facta est in ultima coena, immolatio autem a Judaeis deicidis. Obtulit se Christus in ultima coena non quidem immolatum, sed immolandum; in sacrificio nostro eucharistico offertur Christus ut olim immolatus et in coelo in statu victimae perseverans.

Quum sacrificium sit in genere signi, licet in illo similiter ac in sacramentis (quae etiam signa sunt) distinguere inter signum et rem significatam,<sup>2</sup> et quidem etiam inter »signum

<sup>2</sup> Distinguitur in sacramentis »signum tantum (vel »sacramentum tantum«), »res et signum« (vel »res et sacramentum«), »res tantum«. »Signum tantum« est id quod non significatur sed tantum significat, scilicet ritus externus, materia sacramenti cum forma. »Res tantum« est id quod tantum significatur et non amplius aliquid significat, scilicet gratia sanctificans. »Res et signum« est aliquid intermedium inter »signum tantum« et »rem tantum«, est »res«, quia immediate per »signum tantum« significatur, est etiam »signum«, quia gratiam sanctificantem significat. In Eucharistia, prout est sacramentum, »signum tantum« sunt species cum verbis consecratoriis. »res et signum« est Christus panis comedendus (potus bibendus), est »res«, quia per »signum tantum« significatur, est etiam signum, quia gratiam sanctificantem, significat quae est per unionem cum Christo in unitate corporis mystici, qua cum Christo unimur sicuti cibus et comedens uniuntur; »res tantum« est haec gratia unionis. In ordine »signum tantum« est ritus ordinationis, impositio manuum cum verbis; quo ritu significatur, aliquem fieri sacerdotem; »res et signum« est character sacerdotalis; »res tantum« est gratia sanctificans, in quantum ad munus sacerdotale sanctificat. Vide quae postea habentur ad Elucid. 39, 40, 46—8.

tantum«, »rem tantum«, »signum et rem«, »Signum tantum« (id quod tantum donationem significat) erit ritus externus, in quantum donationem significat; »res tantum« (id quod tantum significatur) erit internum sacrificium; »signum et res« erit donum donatum, quod internum sacrificium significat et cuius traditio per externum ritum significatur. In sacrificio Christi »res tantum« est Christi ipsius et etiam generis humani (quum ipse sit humanitatis caput) ad Deum dedicatio. »Signum et res« est corpus et sanguis, vita, mors eius; »signum tantum« est ritus eucharisticus, species panis et vini cum verbis consecratoriis (species enim et verba non offeruntur, sed tantum oblationem significant).

Sacrificium debet, ne sit irritum, a Deo acceptari. Acceptatio haec hinc inde a Deo significata est per ignem de coelo demissum. Significabatur ordinarie ab hominibus per effusionem sanguinis ad altare; altare enim vices Dei gerebat et quasi numinis praesentia perfusum erat. Significabatur haec acceptatio etiam per victimae combustionem; si enim hostia comburebatur, videbatur Deus eam quasi in se suscipere, comedere.

Si homines offerentes in sacrificio convivio sacrificali de muneribus Deo oblatis comedebant, nullatenus donatio Deo facta revocabatur. Manebant dona omnino proprietates Dei, manebant sacra, sancta, bona Dei; sed Deus de his suis bonis cum offerentibus communicabat, illos suos commensales et amicos faciebat. Significabat talis participatio boni divini et sancti communicationem bonorum divinatorum generatim, praesertim spiritualium et futurorum, significabat praesentem sanctificationem et adunationem in unam quasi familiam illorum, qui ita sanctificati erant. Etsi, uti fit in missa, una eademque actione sacrificium Deo offertur et nobis convivium praeparatur, tamen perperam omnino ponitur (sicuti fit a Renz et Bellord) sacrificii ratio in eo, quod hostia semel oblata a Christo in cruce redigatur ab Ecclesia nobis in cibum; haec ratio consistit e contra in oblatione corporis et sanguinis Christi Deo ab Ecclesia facta. (Elucidatio 1).

Si quis quaerit, quomodo Christo accrescere potuerit sanctificatio illa specialis, in quo status victimalis consistit, respondetur, non sanctitatem Christi augeri, sed ei etiam hoc novo titulo insidere.

Quum, uti ad omne sacrificium ita etiam ad sacrificium Christi requiratur aliqua externa, visibilis, ritualis, liturgica oblatio, quaestio magni momenti est, per quamnam actionem talis oblatio facta sit. Assignatae sunt sequentes actiones: 1. Prostravit milites in horto, 2. Voce magna in morte exclamavit, 3. Oravit: »In manus tuas commendo spiritum meum«, 4. Oravit: »Non mea voluntas, sed tua fiat«. Sed frustra; nam primum et secundum manifestant quidem voluntarietatem, non autem oblationem; tertium est consensus in aliquam legem indeclinabilem, sacrificium autem debet esse oblatio spontanea; quartum non continet oblationem, sed deprecationem. Etiam omnia simul non efficiunt veram rationem sacrificii; sunt enim ita indeterminata, ut non possint sacrificium specificare. Frustra etiam verba »Ego sanctifico meipsum« assignantur; nam haec et talia significant quidem peragi sacrificium, sed non efficiunt, ut id quod peragitur, sit sacrificium. His omnibus omissis dicendum, Christum in ultima coena, in consecratione panis et vini, illam oblationem fecisse, quae mortem et passionem suam ad esse sacrificale specificet. Est enim certe passio Christi sacrificium; est etiam ultima coena sacrificium. Ex altera parte autem ex epistola ad Hebraeos elucet, Christum tantum unum numero sacrificium peregisse. Est igitur coena et passio unum idemque sacrificium, in coena inceptum, in passione usque ad mortem continuatum et peractum; in coena facta oblatio,<sup>3</sup> in passione immolatio. Est unum idemque sacrificium, constans quasi e materia et forma. Materia est passio et mors, forma est oblatio in coena facta, qua liturgica oblatione passio et mors ad esse sacrificale specificatur. Unum sine altero non esset sacrificium, sicuti forma sine materia vel materia sine forma non esset corpus. Si esset passio sine coena, deficeret oblatio ad sacrificium necessaria; si coena esset sine passione, deficeret immolatio ad sacrificium necessaria, quippe quae tantum oblata, promissa esset, sed non facta; deficeret proinde ipsa res offerenda, deficeret ipsa victima, quia Christus sine passione

<sup>3</sup> Neque missa nostra huic unicitati oblationis per Epistolam ad Hebr. requisitae obest. Nam (sicuti Elucidatione 23 dicitur) in hoc sacrificio ecclesiastico non habetur nova oblatio Christi actualis proindeque non alia oblatio; ibi tantum unica Christi oblatio in ultima coena peracta virtualiter perseverat.

non esset victima. Potuit quidem Christus aliam formam eligere, quae mortem suam ad esse sacrificale specificaret, sed reapse hanc formam Melchisedechicam elegit. Verum manet, Christum se ab initio vitae suae ad sacrificium obtulisse, sed affective, non effective, interno sacrificio, non sacrificio proprie dicto. Voluit, desideravit sacrificium proprie dictum offerre, sed nondum obtulit. (Eluc. 2 et 9).

Christum revera in coena sacerdotaliter obtulisse suum corpus ad cruentam passionis immolationem suadet hoc modo:

1. Dixit Christus: »Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur«, »hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum«. Talibus verbis Christus se tradit utique Deo pro peccatis hominum in propitiationem et, offert corpus suum ad hunc finem in mortem tradendum, sanguinem suum in hunc finem effudendum. Haec mors et haec effusio sanguinis in passione eveniet. Offert igitur Christus passionem suam in sacrificium. (Eluc. 3).

2. Dixit Christus: »Hic est sanguis meus testamenti« (Mt. 26, 28), »hic calix est novum Testamentum in meo sanguine«. Sancitur igitur Novum Testamentum in sanguine, sed sane in sanguine sacrificali, sicut Vetus Testamentum in sanguine sacrificali sancitum est (Ex. 24, 8, ad quem locum verba Christi alludunt). Celebratur igitur jam in coena sacrificium Novi Testamenti, sacrificium redemptionis nostrae, sacrificium crucis.

Typus agni paschalis impletur, uti notum, per occisionem Agni veri; sed narratio evangelica insinuat et Patres docent, impleri etiam in coena per celebrationem Eucharistiae. Est igitur haec cum occisione Agni conjungendum ad unum idemque sacrificium. (Eluc. 4).

3. Secundum epistolam ad Hebraeos Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech (qui panem et vinum obtulit) unico sacrificio nos redemit. »Inde difficultas exegetica vix solubilis, nisi admittas unitatem numericam sacrificii dominici, in coena liturgice oblatis, hincque decurrentis per totam passionem ad mortem usque« (p. 68a). Connectit ordo Melchisedech coenam et passionem ad unum sacrificium a Christo oblatum. (Eluc. 5).

4. Dixerat Christus: »Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita«. Dedit panem hunc in ultima coena; dedit

igitur pro mundi vita, hoc est: in sacrificium redemptionis, quod optime intelligitur, si in pane illo obtulit sacrificium mortis suae. (Eluc. 6).

5. Post coenam passio incipit. Judas exit, ut Christum prodat.<sup>4</sup> Pontifex noster liturgia sua per orationem sacerdotalem, quae tota coenae innitur et tota de passione est atque in passionem vergit, fructus sacrificii sui exposcens coenam cum passione ad unum sacrificium connectit. In horto significat passionem suam, quam tantopere desideraverat, iam esse inevitabilem necessitatem, quod optime intelligitur, si interim donatio irrevocabilis facta est. (Eluc. 7). — Hoc modo potest concordia fieri inter dicta Patrum, quibus ex una parte obligatio Christi ad mortem affirmatur, ex altera parte negatur: erat scilicet nulla obligatio ante coenam, erat autem obligatio post coenam, quia Christus se in coena Patri ad mortem sacrificalem donavit.<sup>5</sup> (Eluc. 8).

6. Unitas numerica asserta erat sententia illorum Patrum Concilii Tridentini, qui Sess. 22. caput 1, ubi de coena Christi,

<sup>4</sup> Intelligit auctor cum multis verba Christi ad Pilatum: »Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet« de Juda. Puto intelligenda esse de Caipha et sensum esse: »Habes utique potestatem crucifigendi me; sed potestas tua crucifigendi non est privata, immo publica, iudiciaria, a Deo data; propterea habes, si illa abusus fueris per occisionem innocentis, maius peccatum ac si non esset potestas desuper data. Hoc ultimum autem, scilicet »habes maius peccatum«, Christus expressit indirecte, elegantius et pro homine culto efficacius, dicens de Caipha: propterea, quia scilicet tua potestas est data desuper, habet ille, qui me tibi tradidit, ut tati potestate abutaris, maius peccatum (ac si illa potestas non esset data desuper). Voluit enim Caiphas per talem condemnationem factam per auctoritatem legitimam Romanam efficere, ut in toto imperio Romano nemo sanae mentis in Jesum Messiam credere posset. Et revera factum est, ut Christus crucifixus esset Judaeis scandalum, gentibus stultitia. Quam multi cum Tacito (Annal. 15, 44) religionem christianam iam propterea ut aliquid abominabile contempserunt, quia eius auctor per procuratorem Romanum supplicio crucis affectus erat! Si verba Christi de Juda intelliguntur illud »propterea« sensu videtur carere. Accedit, quod Judas Jesum tradidit Pharisaeis, non Pilato, et Pilatus vix potuit verba de Juda intelligere. Scripsi hac de re in libello *Das Leiden unseres göttl. Heilandes* p. 245 s.

<sup>5</sup> Sed nescio, utrum haec solutio satisfaciatur Scripturae. Loquitur quidem Christus de mandato moriendi post coenam (Jo 14, 11), ubi secundum auctorem erit stricta obligatio intelligenda; sed loquitur de oedem mandato etiam diu ante coenam (Jo 10, 18).

caput a multis Patribus impugnatum, defenderunt et salvaverunt idque nixi illi unitati assertae. (Eluc. 10).

Quaestio, utrum Christus ipse sumpserit Eucharistiam, quamvis ad illam nunc temporis plerumque negative respondeatur, omnino affirmanda esse videtur. Affirmaverunt magna concordia Patres et antiqui theologi. S. Scriptura annuit. Dicit enim Christus post coenam eucharisticam, se non amplius bibiturum de hoc genimine vitis, donec bibat illud novum in regno Dei, quibus verbis significat convivium eucharisticum esse typum convivii coelestis, ubi cum suis compotaturus sit torrentis voluptatis. Si autem Christus dicit, se non amplius bibiturum de calice eucharistico, donec impleatur, satis ostendit se bibisse. Non deest ratio congrua. Sane non per sumptionem Christus aliquid in se effecit (non enim potuit dari gratia ei, qui est gratia plenus), sed aliquid significavit. Significavit autem (quum epulae sacrificales symbolizent participationem bonorum divinorum) glorificationem futuram suiipsius et corporis sui mystici, cujus est caput, significavit amicitiam suam et suorum cum Patre, necnom suam cum fidelibus suis adunationem in unam familiam bonorum divinorum participantem. (Eluc. 11).

Cum morte Christi sacrificium erat sufficienter ab illo oblatum et perfectum, sed nondum erat ex omni parte consummatum; nondum erat scilicet a Patre visibiliter acceptum. Manifeste accepta est victima in resurrectione et postea in ascensione ad Patrem elevata et in aeternam possessionem penitus assumpta. Hoc esi sacrificium coeleste in Epistola ad Haebraeos insinuatum et a Patribus praedicatum. Manet per hoc sacrificium Christus aeternaliter Dei possessio in pretium pro peccatis nostris. Quum enim peccatum in Deum aeternum, aeternum debitum involvat, etiam exhibitio pretii solutionis aeterna sit oportet. Hoc modo redemptio aeterna inventa. Quae non ita intelligenda sunt, ac si peccatum remissum non penitus deletum maneret, possetque reviviscere. Est penitus deletum et mortuum, sed propterea, quia Christus irrevocabiliter manet ut hostia, in pretium peccati, in Dei possessione. Ut talis hostia Christus est causa vitae nostrae spiritualis secundum gratiam et gloriam, qua causa cessante, cessaret effectus. Ex eo, quod Christus est apud Patrem ut hostia et victima, habet missa

nostra rationem sacrificii. Omnino enim ad rationem sacrificalem missae necesse est, ut habeamus victimam. Non autem afficimus victimam, non peragimus victimationem (absit a nobis aliquid hujusmodi, quod Judaei impii fecerunt). Debet igitur victima jam praesto esse. Hoc autem locum non haberet, si Christus fuisset quidem quondam victima, nunc autem non amplius esset. (Eluc. 12).

Ad sacrificium pertinet altare. Habet etiam sacrificium Christi et terrestre et coeleste secundum Patres suum altare, quod est ipse Christus, corpus ejus. Si enim altare secundum Math. 23, 19 donum sanctificat, Christus non potest habere altare extra se, quum sit sanctissimus nec amplius sanctificari possit. Et si altare sedes est divinitatis, si ungitur, consecratur, sanguine asperso cruentatur, sane corpus Christi altare erit, quod maxime est sedes divinitatis, totum divinitate repletur et ungitur, quod cruentatum est symbolice, quum Christus ipsum suum sanguinem biberet in coena, cruentatum reapse sanguine in passione profuso. Est Christus altare, sicuti se Jo. 2, 19 vocavit templum. Super hoc altari Christus sacrificium suum obtulit in terra; super hoc altari eoque glorificato jacet ut victima in coelo. Illud altare altaria nostra representant. Hoc altare videtur intelligendum in Hebr. 13, 10, ubi legimus: »Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt«. De hoc altare enim edimus nos Christiani donum, quod cum altari identicum est, scil. corpus Christi. (Eluc. 13).

Per suum sacrificium coeleste Christus interpellat pro nobis, non quidem orans, non ad pedes Patris provolutus adorans (sedet enim ad dexteram Patris), sed se vulnerum stigmatibus decoratum ut agnum pro peccatis occisum et ab eo aeternaliter acceptum ostendens, eumque ad commiserandum obligans scilicet hoc sensu, quod quasi contractus inter Patrem et Filium intercessit, quia Filius seipsum ut donum et pretium pro peccatis dedit, Pater accepit. (Eluc. 14).

Non est igitur sacrificium coeleste negandum, id quod aliqui recentiores a doctrina Epistolae ad Hebraeos et Patrum deviantes fecerunt, neque ex altera parte putandum est, Christum se iterum et iterum in coelo actualiter offerre, se exinanire vel etiam oblationem sensibilem aliquam facere, ut quibusdam placuit. Sed media via incedendum. Coeleste sacrificium asse-



rendum, sed non de actuali, sed virtuali oblatione intelligendum. Virtualiter se Christus offert, in quantum actualem suam oblationem semel factam numquam retractat, sed semper aprobat et vult, ut sit hostia a Patre accepta, rata habita, glorificata. Est igitur coeleste sacrificium non sacrificium active pro actione qua litatur, sed passive pro re oblata in statu victimae manenti. (Eluc. 15).

## II. De sacrificio ecclesiastico. (Eluc. 16—35).

Ritum eucharisticum, quo Christus in coena usus est ad sacrificium suum offerendum, tradidit Ecclesiae, ut et ipsa per illum ritum verum et proprium sacrificium celebraret. Dixit enim: »Hoc facite in meam commemorationem«, quod est: Hoc modo et vos corpus meum et sanguinem meum in sacrificium offerte. Offerimus igitur eandem victimam quam ipse, sed hanc iam immolatam et a Patre acceptam, glorificatam, hostiam coelestem, coeleste sacrificium, nihilominus tamen offerimus Christi cruentam mortem, immolationem. Idem est enim offerre corpus Christi in quantum passi et mortui, ac offerre ejus mortem et passionem; idem offerre sanguinem prout effusum, ac offerre ejus effusionem; idem offerre Christum ut hostiam ex praemissa immolatione existentem, ac offerre ipsam immolationem. (Eluc. 16 et 17). Neque Patres ullo modo latuit, nos in Eucharistia corpus et sanguinem Christi in verum sacrificium offerre, nos offerre hostiam passionis et proinde per communionem sacrificium cruentum participare, nos offerre coeleste sacrificium et proinde per communionem coeleste sacrificium participare. (Eluc. 18—22).

Verum est, etiam in sacrificio nostro eucharistico Christum esse offerentem. Sed tamen non actualiter offert; hoc enim semel fecit pro semper. Offert virtualiter, in quantum ipse unica sua oblatione effecit, ut esset victima sempiterna, immobiliter in coelo in conditione victimae permanens; ut talem se Ecclesiae tradidit offerendum et ad hanc oblationem peragendam ei, ut et caput corpori, virtutem jugiter influit. Non fit igitur nova oblatio ex parte Christi, sed tantum ex parte nostra, et quidem nova oblatio in unaquaque missa. Offert Christus per nos offerentes, quin de novo offerat ipse in sua persona. Novitas tota est ex parte Ecclesiae, quanquam virtus tota est ex parte Christi. (Eluc. 23).

In assignanda ratione sacrificali Missae aliqui peccant per excessum, quidam per defectum. Per excessum illi qui (sicut Lugo, Franzelin, Raymundus) destructionem aliquam, novam quandam immolationem, victimationem adstruunt, ac si Christus in Eucharistia fieret truncus, usu sensuum, actibus vitalibus orbatus. Sed aliquid hujusmodi a Christo glorificato et immobiliter in suae glorificationis majestate permanenti omnino exulare debet. Per defectum peccant, qui conditionem victimalem Christi omittentes sola mactatione mystica (quae per consecrationem duplicis speciei et hanc symbolicam sanguinis effusionem habetur) contenti sunt. Hi enim non habent in Christo praesenti victimam, proinde non salvant rationem sacrificii. Sunt etiam, qui videantur simul et per excessum et per defectum peccare, illi scilicet, qui ponunt conditionalem occisionem, ac si, ut ajunt, verba sacramentalia separarent corpus et sanguinem nisi Christi gloriosi incorruptibilitas obstaret. Ex una parte requirunt hi aliquam victimationem praesentem, ex altera parte ne victimam quidem videntur requirere; victimatio enim tantum attentata victimam non efficit, et victimam ab omni praesenti victimatione independentem non agnoscunt. (Eluc. 24).

Fructus vel effectus missae est Deum nobis propitiare, misericordiae divinae aditum ad nos sive justificandos, sive in bono custodiendo et in melius promovendos aperire, efficere, ut Deus ad hoc sit paratus atque aliquomodo obligatus. Est igitur efficientia missae moralis. Fructus non est infinitus, idque jam inde patet, quod Ecclesia non raro pro una eademque re saepius missam offert. Quaeritur, unde finitudo oriatur. Non oritur ex parte rei oblatae, quae est valoris infiniti. Neque repetenda est ex libero arbitrio Dei veluti missae fructum taxantis; Deus enim pronus est ad elargiendum, non ad restringendum et coarctandum. Dicendum est, oriri ex offerentibus, quorum sanctitati, virtuti, devotioni, fervori actualis valor missae proportionetur. Oblatio enim in tantum accepta, in quantum offerentes accepti, in tantum nostra oblatio minus accepta, in quantum devotio offerentium a sanctitate doni sanctissimi discrepat. Sicuti sacramenta sanctificant proportionate ad dispositiones accipientium, ita missa valet secundum virtutem offerentium. In sacramentis recipiendis sumus passivi, dona

Dei accipientes, et fructus sequitur capacitatem potentiae nostrae passivae; in sacrificio autem offerendo sumus activi, donum Deo dantes, et fructus proportionatur sanctae illi contentioni, cum qua donum nostrum ad Patrem apportamus. Fructus missae *ex opere operato* non est tantum tota illa vis propitiandi Deum hominibus et vis satisfactiva, quae huic missae competit, sed etiam (quod est contra Suarezium) tota impetratio, quam obtinet. Si missa sacerdotis melioris (et aliorum actualiter offerentium meliorum) est melior, illa major bonitas non est dicenda esse ex opere operantis, sed etiam est ex opere operato, quia tunc ipsum opus, ipsa oblatio est melior. (Eluc. 25).

Offerentes sunt imprimis Ecclesia, deinde speciali modo sacerdos, postea stipem dantes, adstantes. Longe primum locum obtinet Ecclesia, quae est regale sacerdotium, et quae offert in omni sacrificio. Offerimus enim in omni sacrificio Deo donum nostrum. Donum autem, quod in missa offertur, Christus hostia, est traditum soli Ecclesiae, toti corpori Christi mystico, non uni membro vel pluribus separatim. Nemo proinde missam offerre potest proprio nomine, sed tantum ut membrum Ecclesiae, simili modo quo membrum aliquod corporis non separatim, sed tantum conjunctum cum corpore et ut ejus instrumentum agere potest. Unde proportionatur fructus missae imprimis sanctitati totius Ecclesiae. Quo Ecclesia sanctior, eo missa efficacior. Influxus Ecclesiae, quae semper, etsi magis minusve, sancta est, in sacrificium est sicuti universalior, ita etiam principalior quam influxus singulorum offerentium. Inde est, quod perditissimi etiam sacerdotis sacrificium Deo placet. Quum Ecclesia non esset plene constituta ante diem Pentecostis (erat enim tunc quasi corpus inanimatum, quum anima Ecclesiae sit Spiritus Sanctus), videtur missa demum ab illò die fuisse offerenda. Dedit quidem Christus Apostolis potestatem offerendi in ultima coena, sed ante descensum Spiritus S. nondum expeditam. Specialiter offerentes sunt imprimis Sacerdos, deinde stipem dantes, post illos adstantes. Quo magis hi Deo grati, eo major fructus missae. Missa meliorum est melior. Erit igitur missa ad aliquem finem obtinendum eo efficacior, quo sanctiores sacerdos, stipem dantes, adstantes, quo plures adstant, quo intensius omnes ad eandem intentionem

se convertunt (potest tamen ex pluribus intentionibus crescere devotio). Ex dictis patet, non posse satisfieri per unam missam pluribus stipendiis, neque sacrificium oblatum pro pluribus proinde singulis prodesse, ac si pro paucioribus offerretur. (Eluc. 26—8).

Missa illis prodest pro quibus offertur. Omnes offerentes offerunt etiam pro seipsis; sunt enim omnes peccatores et indigent donis divinis. Transit proinde fructus missae ad omnes Ecclesiae catholicae fideles pro modo, quo eos offerre contingit, sive solum habitu, sive etiam actu pro suo quisque gradu et loco. Qui igitur missam offert, offert semper saltem communiter pro se et aliis, specialiter pro speciali intentione. In quantum quis offert sive specialiter, sive communiter pro se, provenit ei fructus per modum proprii quaestus; aliis quibus offert, sive communiter sive specialiter, provenit per modum suffragii. (Eluc. 29).

Quum hoc sacrificium sit Ecclesiae soli traditum, non potest offerri ab illis qui sunt extra Ecclesiam, scilicet infidelibus, haereticis, schismaticis, catechumenis, excommunicatis (saltem vitandis). Non potest proinde ab illis accipi stipendium proprie dictum, quo scilicet aliquis per sacerdotem sacrificium offert, coofferens eficitur et in sacris cum sacerdote communicans. Si autem a tali tantum eleemosyna datur et petitur, ut missa per modum suffragii pro eo offeratur, illa communicatio in sacris non habetur. Potest Ecclesia de talibus stipendiis late dictis aliud pro alio tempore statuere. (Eluc. 30.).

Ex jure divino nihil impedit, quominus hoc sacrificium offeratur pro quibusvis hominibus *vivis*, etiam haereticis, infidelibus etc.; est enim hostia nostra hostia passionis pro omnibus a Christo sacrificata, ut omnes Christi fiant et in eo Deum laudent, et dicitur in ipsa consecratione, sanguinem pro multis effundi; proderit illis per modum propitiationis, impetrationis, et etiam, si sint in gratia, satisfactionis. Non autem licet secundum jus et usum ecclesiasticum in ulla qualibet oratione liturgica nominare hominem infidelem, hereticum, schismaticum, excommunicatum, idque propterea, quia secundum antiquum usum talis nominatio est signum ecclesasticae unitatis cum illo. (Eluc. 31).

Pro catechumeno defuncto potest missa probabiliter spe-

cialiter et publice offerri, pro infidelibus autem defunctis haereticis, schismaticis neque publice neque specialiter; censentur enim extra unionem cum Christo decessisse. Sunt tamen auctores recentiores (Lehmkuhl, Génicot, Noldin, Wernz, Lépicier) qui teneant, posse pro tali offerri specialiter, sed privatim, non publice, si cum indiciis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae obierit. Certe potest sacerdos, si pro omnibus animabus purgatorii specialiter offert, Deum rogare, ut uni ex illis specialiter prosit. (Eluc. 32).

Quum sacrificium eucharisticum Ecclesiae sit traditum, tenendum est, extra Ecclesiam non posse offerri. Sed oritur difficultas de sacerdotibus haereticis, schismaticis, publice excommunicatis, suspensis, utrum consecrent valide. Qua in re non una fuit semper Patrum et theologorum medi aevi sententia. Affirmabant alii aliis negantibus. Distinguendum erit inter potestatem sacerdotalem et ejus verum usum qui ab intentione dependeat. Possunt certe valide consecrare, quum haec potestas maneat alligata ad characterem sacerdotalem. Utrum id reapse faciant, dependet ab illorum intentione. Si intentione praedominanti facere volunt, quod facit Ecclesia, satis cum illa conjuguntur, et valide consecrant. Si autem tale commercium intentione praedominanti excludunt (id quod haeretici et schismatici formales et pertinaces facere debent, si sibi constare velint), non consecrant. Ubi valida est consecratio, missa non est sine fructu; habet talem saltem ex parte Ecclesiae, quae etiam in tali sacrificio est offerens, sicuti in sacrificio sacerdotis catholici indigni. (Eluc. 33).

Sacrificium nostrum perficitur consecratione, ad quam efficiendam nulla epiclesis (qua transsubstantiatio a Deo exposcitur) necessaria est. Sapienter tamen epiclesis instituta est. In ipsa enim consecratione fit oblatio ex parte nostra et acceptatio ex parte Dei; oblatio, quia corpus et sanguinem Christi in remissionem peccatorum Deo offerimus; acceptatio ex parte Dei, quia panis et vinum transeunt in aeterni sacrificii hostiam consummate et immobiliter a Deo in gloriam acceptam. Convenit autem, ut quae ibi una actione pragmatice fiunt, oraliter distinctius exprimantur. Oblatio exprimitur in nostra liturgia (praeter offertorium recentius additum) oratione »Unde et memores . . . offerimus«. Acceptatio ad Deo exposcitur in

antiqua oratione »Supplices te rogamus«, qua petimus, ut haec nostra dona (panis et vinum intelliguntur) per Dei Angelum, scilicet Christum (non exclusis angelis, qui sicuti in theophaniis aderant et cum Christo ad iudicium apparebunt, ita etiam nunc adesse censentur) perferantur in sublime altare coeleste (quod etiam Christus est). Petitur quidem hoc modo transsubstantio post illam jam factam, sed tamen non inepte hoc loco petitur, quia petitur sub ratione acceptationis per Deum. (Eluc. 34).

Plerique theologi recentiores docent cum s. Bonaventura contra s. Thomam formam »Hoc est corpus meum« »Hic est sanguis meus« sufficere. Sed videtur necessarium, ut addatur aliqua determinatio, qua significetur, sacrificium peragi, sive illa cadat in verbum »corpus« (uti »quod pro nobis tradetur«), sive in verbum »sanguis« (uti »qui pro vobis effundetur«), sive in utrumque. Transsubstantiatio est enim essentialiter sacrificium. Hoc autem est in genere signi. Signum autem, ut sit signum, debet esse determinatum. Jam vero verbis »Hoc est corpus meum«, »Hic est sanguis meus« significatur quidem praesentia Christi, significatur etiam (per utramque speciem cum verbis) separatio sanguinis a corpore, igitur mors cruenta, sed nondum significatur mors cruenta sacrificialis, mors cruenta scilicet, quae sit donatio ad Deum, propitiatio pro peccatis hominum. Non fit igitur signum determinatum, nisi tale aliquid dicatur. Si non determinatur, non habetur sacrificium, si non habetur sacrificium, non habetur transsubstantiatio. Erit igitur forma invalida. De facto omnes liturgiae alicujus auctoritatis aliquam determinationem, qua sacrificium exprimitur, habent.

Secundum haec neque consecraret, qui tantum unam speciem consecrare vellet; non vellet talis sacrificium offerre, non haberet intentionem sufficientem. Aliter res se habet, si quis post consecrationem panis incapax fit (v. g. apoplexia arreptus) ad alteram speciem consecrandam; talis enim intentionem sufficientem habuit.

Praeterea videtur cum Scoto contra s. Thomam tenendum, necessaria esse verba »Qui pridie...«, scilicet aliquam narrationem, qua verba »Hoc est corpus meum« etc. in ore Christi ponantur. Talis narratio, quae in omnibus liturgiis habetur, non quidem est causa transsubstantiationis, non pars constitutiva

formae, sed erit conditio necessaria, ut verba rectum sensum expriment, ut scilicet corpus Christi significant; secus enim de corpore sacerdotis intelliguntur. Neque licet recurrere ad intentionem sacerdotis vel ad circumstantias loci, gestuum, vestium sacrarum, altaris, ac si illa formam ad sensum rectum determinarent. Forma enim omnis sacramentalis debet significare suum effectum ex ipso tenore sermonis objectivo. (Eluc. 35).

### III. De Eucharistia ut sacramento. (Eluc. 36—50).

Eucharistia ut sacramentum est corpus Christi manducandum, sanguis potandus, est hostia manducanda, bona divina, vitam divinam nobis impertiens. Significat et efficit hoc sacramentum imprimis *unionem cum Christo* ad unum corpus, ad unitatem corporis mystici cum eo, in qua habemus vitam ejus, gratiam. Significat et efficit Eucharistia omnem gratiam sanctificantem; illa gratia sanctificans enim, quae datur in aliis sacramentis, datur in virtute Eucharistiae (sicuti Eluc. 46. et 47. explicabitur). Habemus omnem gratiam sanctificantem ex divinitate per unionem cum Christi humanitate, quacum spiritualiter per permanentem contactum virtutis conjuncti sumus; habemus illam per manducationem Eucharistiae saltem mere spiritualem. (Eluc. 36).

Significat et efficit Eucharistia deinde *unionem cum Ecclesia*. Si enim singuli per Eucharistiam adunamur ad Christum, adunamur ad invicem. Haec unitas ecclesiastica non est tantum socialis et externa, sed interna atque vitalis, neque Ecclesiae militanti tantum ita jungimur, sed etiam Beatae Mariae Virgini, sanctis in coelo, animabus in purgatorio. — Hic animadvertendum, in ordine messiano caritatem erga Christum et proximos conjunctam esse cum hac vitali societate ex Eucharistia orta; unde Christus mandatum caritatis fraternae post Eucharistiae institutionem tantopere inculcat, et tanquam suum et novum mandatum commendat. Si alios, qui non in hac societate sunt, diligimus, tamen ad hunc finem, ut membra Christi fiant, diligimus. (Eluc. 37).

Significat et causat Eucharistia tertio nostram *resurrectionem*. Significat enim unionem nostram cum Christo, capite nostro, quod jam in coelo est redivivum, et ad quod totum

corpus demum trahi necesse est. Causat resurrectionem, in quantum causat gratiam, quae ipsum esse animae, formae corporis, transformat. Ex Eucharistia igitur est, quod in gloria esse informativum animae separatae perficitur, et hoc unionem cum corpore glorificando postulat. Si Christus postquam cum Apostolis Eucharistiam manducavit, dicit se jam non bibiturum de hoc genimine vitis nisi novum in regno Patris, et se dispositurum apostolis, sicuti Pater disposuerit ei, manifestat convivium eucharisticum esse signum convivii coelestis et plenissimae participationis honorum divinorum, quae non est nisi Christi redivivi cum suis membris resuscitatis. (Eluc. 38).

»Signum tantum« non est in hoc sacramento sicut in aliis actio transiens, sed aliquid permanens, compositum ex speciebus et verbis consecratoriis. Species solae sane non sufficiunt ad »signum tantum« constituendum, sunt enim multae aliae species non consecratae, proinde non corpus Christi significantes. Sunt igitur »signum tantum« species in quantum verbis ad signum determinantur, quasi informantur, quae verba, etsi non manent in suo esse physico (scil. ut sonus), manent tamen in suo esse significativo et hac ratione species permanenter afficiunt. (Eluc. 39).

»Res et signum« est corpus (et sanguis) Christi manducandum. Est »res« (significata scilicet), quia per species cum verbis significatur. Est etiam »signum«, quia nostram unionem cum Christo in unum corpus significat. Non est quidem hoc signum, scil. corpus Christi, visibile per se, sed tamen visibile per aliud, scil. per »signum tantum«, per speciem cum verbis. (Eluc. 40).

»Res tantum« est unio cum Christo, participatio gratiae Christi, qui est plenus gratiae et veritatis. Haec gratia Redemptoris non est (a coniunctione cum humanitate Christi nunc abstrahimus) specie diversa a gratia Creatoris (quae fuit in Adamo ante peccatum et in angelis), sed differt quoad modum respiciendi finem, qui in priori illa (in gratia Adami et angelorum) respiciebatur solummodo ut appetibilis, in nostra autem (in gratia Redemptoris) respicitur simul ut arduus. Haec gratia fuit in Christo summa, valens in condignam satisfactionem ad summum dolorem perferendum, par absolutae impeccabilitati et potens ad diffundendam vitam in omnes homines ad quodvis



grave peccati vulnus sanandum, quam vitam, sicuti per sacrificium meruit, ita ut hostia sacrificii dispensat. (Eluc. 41).

Sicut in aliis sacramentis, ita etiam hic, id quod est »signum tantum« causat veritatem ejus, quod est »res et signum«, scilicet praesentiam Christi, et causat in quantum significat; non igitur efficit, ut corpus Christi *fiat* vel *sit* simpliciter, sed ut sit *hic*; dicitur enim »Hoc est corpus meum« (quod corpus sane praeexistit), non dicitur »Hoc fiat, hoc sit corpus Christi«. Non tantum efficitur, sed etiam conservatur praesentia Christi per signum, et si integritas signi perit (per corruptionem specierum), praesentia Christi desinit. Hac in re differentia habetur ab aliis sacramentis, ubi signum (quod in his est actio transiens) non significat esse, sed fieri effectus (ita per baptismum, fieri aliquem christianum, per matrimonium, fieri virum et feminam conjuges), qui effectus est aliquid per se stabile (character in baptismo, vinculum in matrimonio etc.), et permanet, postquam signum desiit. Non autem est fingenda aliqua virtus attractiva, qua species magnetis instar teneret sibi copulatum corpus Christi, atque asportaret secum, quocumque ferrentur. Non habet talem vim attractivam, sed solum demonstrativam. (Eluc. 42).

Causat igitur »signum tantum« id quod est »res et signum«. Quaeri potest, utrum causet etiam »rem tantum«, scilicet unitatem ecclesasticam, adunationem nostram ad Christum et in Christo. Mediate, indirecte certe sausat, quia causat »rem et signum, quod ipsum causat »rem tantum«. Sed quaeritur, utrum immediate, directe causet. Solvitur quaestio e principio »Causat eodem modo, quo significat«, siquidem significando causat. Si igitur »signum tantum« immediate, directe significat »rem tantum«, immediate, directe causabit; si non immediate significat, non immediate causabit. Jam vero patet, »signum tantum« immediate non significare nisi Christum cibum, Christum panem comedendum, Christum potum bibendum, scilicet »rem et signum«, sed adunationem ad Christum solum mediate, indirecte, transitu facto per Christum ipsum comedendum; nam tantum Christo ut pane prius cognito pervenimus ad cognitionem adunationis nostrae cum Christo et in ipso. Haec igitur adunatio non immediate per »signum tantum« causatur.

Sed obicitur: Panis est unum e multis granis, vinum unum e multis acinis; ita nos multi unum efficimur in Christo. Ecce immediata, directa significatio eaque saepissime a Patribus asserta!

Respondetur: Haec est quidem immediata significatio, sed non est significatio sacramentalis, scilicet quam Christus ipse elegisset et efficacia donasset; sed est pulchra comparatio saluberrime a Patribus adhibita, est pulcher symbolismus, sicuti alios symbolismos habemus. Ita miscetur aqua cum vino in offertorio, ut significetur nostra unio cum Christo; ita etiam aqua in pane farinae admixta secundum Patres idem significat; ita significant azymi quos consecramus puritatem nostram absentiamque fermenti corruptionis (I Cor 5, 7 s). Sed omnes illi symbolismi non sunt sacramentales, non efficiunt quod significant, quia non sunt a Christo electi et efficacia donati. Potest consequenter sine illis effectus produci, nam etiam panis fermentatus consecratus sanctitatem producit; etiam vinum non aqua mixtum et consecratum efficit nostram unionem cum Christo. Cum farina necessario quidem aqua miscenda est, sed non ad significandam unionem nostram cum Christo, sed quia secus non fit panis. (Eluc. 43).

Per dualitatem specierum non inducitur dualitas sacramenti. Non enim corpus et sanguis sunt duo sacramenta, sed unum. Secus haberemus octo sacramenta, et Ecclesia laicos uno sacramento privaret. Ex altera parte tamen corpus et sanguis non sunt duae partes ejusdem sacramenti. Laicus enim non recipit tantum partem sacramenti, sed sacramentum integrum, integrum etiam quoad fructum; fructus enim per sumptionem alterius quoque speciei non augetur. Sed inde difficultas, quomodo possit esse sacramentum sub utraque specie solum unum sacramentum, et tamen sub alterutra specie sacramentum integrum. Plures solutiones datae laborant incommodis. Vera solutio erit repetenda ex ratione convivii sacrificialis. In convivio sacrificali enim, puta Judaeorum, tantum hoc attendebatur, ut quis boni oblati fieret particeps; perinde erat, qualem vel quantam partem quis sumpisset. Ita etiam hic. Est aequalis participatio sacramenti, utrum quis sumpserit tantum unam speciem vel utramque; item aequalis participatio erit, sive quis sumpserit multum ex una specie sive parvum. Sunt igitur

ambae species tantum necessariae ad sacrificium peragendum in signum immolationis. Sed oblatione peracta est alterutra species et quidem quaelibet ejus pars apta ad bonum oblatum percipiendum. (Eluc. 44).

Unitate formali sacramenti sic definita, amplius quaeri potest, quot sint numero sacramenta Eucharistiae. Baptismus aliis et aliis administratus sunt multi numero baptismi. Suntne ita etiam multa sacramenta Eucharistiae? Forsan tot sacramenta, quod particulae? Sed si quis v. g. tres particulas sumpsit (uti sacerdos in unaquaque missa) non dicitur tria sumpsisse sacramenta. Vel suntne tot Sacramenta, quot sumptiones, communiones? Neque hoc placet; nam toties habetur potius usus sacramenti, quam ipsum sacramentum. Videtur hoc modo esse procedendum: Sacramentum Eucharistiae habet rationem convivii sacrificialis. Tot igitur sacramenta, quot convivium. Jamvero, quum sit in veritate una eademque hostia per omnes locorum et temporum differentias, unum tantum videtur esse convivium (quamvis multae participationes ejusdem convivii), igitur unum tantum sacramentum. A coena itaque usque ad finem mundi unus secundum veritatem decurrit panis et calix eucharisticus per omnium sacerdotum manus et ora fidelium. Unde dicimus adhuc: »*Hoc* est corpus meum« »Accipiens et *hunc* praeclarum calicem«. Sed quum haec una eademque hostia alia et alia oblatione a nobis offertur, dici etiam potest, tot esse sacramenta, quot oblationes, quot missae. Sed talis distinctio numerica sacramenti est specietenus; realiter et simpliciter habetur unum numero sacramentum. Et hoc modo valet de Eucharistia eadem regula quae de aliis sacramentis: tot sunt sacramenta, quoties habetur id, quod est »res et signum«. In Eucharistia est »res et signum« semper numerice idem Christus. In baptismo autem v. g. »res et signum« est character baptismalis, et habentur tot baptismi, quod characteres baptismales. (Eluc. 45).

Omnis incorporatio in Christum, omnis adunatio cum illo, omnis gratiae susceptio est (in ordine messiano completo) secundum Eluc. 36. effectus Eucharistiae. Sed patet, in baptismo fieri incorporationem in Christum, et vitam spiritualem acquiri. Tamen nulla contradictio. Nam baptismus non per se causat vitam, sed ex voto Eucharistiae. Per se enim tantum causat,

quod significat; non autem significat resurrectionem ad novam vitam, sed, quum corpus aquae supponitur (per immersionem supponitur totum corpus, per ablutionem aliqua pars corporis) mortem cum Christo et sepulturam. Objicitur quidem: si baptismus fit per immersionem, tunc emersio ex aqua significat resurrectionem cum Christo ad novam vitam. Sed respondetur: hanc significationem non esse sacramentalem; nam si quis ante emersionem repente moreretur, esset baptizatus, et in baptismo per ablutionem emersio non habetur. Significat igitur et proinde causat baptismus non resurrectionem novi hominis sed mortem veteris in Christo. Quum autem mors et sepultura Christi necessario resurrectionem ad novam vitam intendat et exigat, inde etiam mors et sepultura cum Christo vitam Christi intendit, appetit, desiderat. Et hoc modo ipse baptismus est sacramentale desiderium, votum vitae, proinde etiam fontis vitae, scil. Eucharistiae. Et propter illud votum Eucharistiae, quod in baptismo habetur, ex Eucharistia gratia, vita divina, incorporatio in Christum accipitur. Efficit igitur baptismus per se tantum mortem veteris hominis, sed quia haec mors in hoc ordine (in alio posset esse aliter sc. illa mors posset esse condonatio peccati sine acceptione gratiae) vitam intendit, propterea ipse indirecte vitam intendit, fontem vitae, Eucharistiam appellat et in eius virtute vitam operatur. (Eluc. 46).

Similiter reliqua sacramenta immediate neque significant neque causant gratiam, sed significant et causant aliquid aliud, quod ipsum est ordinatum in Eucharistiam, et hoc modo votum Eucharistiae continent atque animam ad hanc vitae fontem convertunt, ut ex illo vitam hauriat. Ita poenitentia est absolutio a peccato, ut hoc impedimento remoto gratia ex Eucharistia in animam influat. Confirmatio dat robur contra hostes salutis<sup>6</sup> ad impedimentum gratiae, scil. peccatum, praecavendum, ut gratia Eucharistiae liberum habeat accessum. Sacrum oleum est ad exterminandas reliquias peccati, ut homo libere et

<sup>6</sup> Dicit auctor de Confirmatione: »Est sacramentum perseverantiae in communione corporis Christi, adversus difficultates ab extrinseco« (puta ex parte persecutorum) ingruentes« (574b). Illud »ab extrinseco« videtur effectum nimis restringere. Catechismus Romanus docet, nos »chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi, et diaboli robustiores« fieri (P. 2 cap. 3 n. 20 = q. 19).

expedite vitam Eucharistiae participet. Ordo dat potestatem ad convivium eucharisticum parandum, ut sacerdos ipse primus id participet. Matrimonium efficit vinculum, quo vir et mulier ad matrimonium divinum (quod est inter Christum et Ecclesiam) imitandum conjunguntur, ut sicut illud divinum matrimonium est in unitate corporis mystici ex Eucharistia, ita conjuges per Eucharistiae gratiam illud sublime exemplar aliquomodo expriment. »Undique ergo, sicut ecclesiarum nostrarum aedes in orientem solem spectant, ita et sacramentorum nostrorum agmen totum totusque cultus christianus atque ecclesiastica disciplina respicit ad Eucharistiam, in qua visitavit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent« (p. 575a). Operatur vitam semper Eucharistia, sed non sine illis sacramentis. Requirit enim Eucharistia ad effectum suum exercendum certas dispositiones, quas alia sacramenta inducunt. Baptismus primo ad vitam recipiendam disponit, poenitentia obicem obortom removet, confirmatio sacrum oleum, ordo, matrimonium potentiam passivam respectu gratiae eucharisticae modificant. Id quod est in aliis sacramentis »res et sacramentum« vindicat, quamdiu habetur, universali cibi istius virtuti pro-tensionem specialio-rem in proprium cujusque sacramenti finem, veluti apertis novis meatibus atque venis.

Secundum haec, si quis voto baptismi vel poenitentiae justificatur, implicatur hoc voto votum Eucharistiae, quia ipsa illa sacramenta sunt vota Eucharistiae. Vice versa, si quis justificatur voto Eucharistiae extra baptismum vel poenitentiam, hoc non fit sine voto baptismi vel poenitentiae, quia Eucharistia haec sacramenta praerequirit; sunt accessus ad Eucharistiam; qui autem vult ad Eucharistiam, vult sane per hunc accessum ad eam. (Eluc. 47).

Quoad causalitatem Eucharistiae considerandum est, in omnibus sacramentis »signum tantum« causare immediate tantum »rem et signum« (»res et signum« est in Eucharistia corpus Christi ut panis, in baptismo, confirmatione, ordine character, in poenitentia extinctio debiti erga Ecclesiam, in sacro oleo allevatio morbi corporalis,<sup>7</sup> in matrimonio vinculum martimo-

<sup>7</sup> Dicitur hoc p. 581b Annot: »In extrema unctione, res et sacramentum est alleviatio morbi corporalis«. Sed tunc deberet hic effectus in omni valido sacramento unctionis sequi, quod tamen non semper locum habere videtur. Vide Kern, De sacramento extr. unctionis p. 227s

niale), quum hoc tantum immediate significetur, »rem tantum« causari mediante »re et signo«. Causalitas »signi tantum« in »rem et signum« consistit in intimatione imperii Dei per ministrum facta; non est igitur mere moralis, quia Deus non propter bonitatem et valorem ritus inducitur ad effectum producendum, sed per ritum producit. Si amplius quaeritur de causalitate illius quod est »res et signum« in »rem tantum«, quae res est gratia, distinguendum est inter Eucharistiam et alia sacramenta. Causalitas Eucharistiae est perfectiva relate ad gratiam ut talem; hanc enim ejus »res et signum«, corpus Christi manducandus scilicet, significat. In aliis autem sacramentis est illa causalitas dispositiva; in his enim »res et signum« non gratiam ut talem, non consortium divinum ut tale significat, sed gratiam aliquomodo determinate secundum varios respectus. Haec vocatur gratia sacramentalis et est in baptismo gratia in quantum regenerans, in poenitentia gratia reconcilians cum Ecclesia, in confirmatione gratia in quantum confirmans contra hostes vitae spiritualis, in sacro oleo gratia in quantum sanans reliquias peccati, in ordine et matrimonio gratia in quantum ad illud munus speciale sacramento importatum sanctificans. Gratia sacramentalis igitur non re, sed ratione tantum distincta est a gratia ut tali. Eucharistia non habet gratiam sacramentalem propriam, quia ipsa gratia ut talis est ejus effectus, et propterea cooperatur cum aliis sacramentis, in quantum efficit gratiam ut talem; illa alia sacramenta autem addunt aliquam rationem specialem. (Eluc 48).

Ad salutem est Eucharistia omnino necessaria, est enim secundum. Jo 6. et Patres fons vitae, fons totius vitae. Quod est etiam rationi consentaneum. Est enim fons totius vitae Christus ut hostia nostra; hostia autem nostra est Eucharistia. Est igitur Eucharistia necessaria de necessitate medii omnibus hominibus ad salutem, et quidem percepta in voto. Est autem etiam corporalis manducatio, si fieri potest, necessaria iis, qui peccare possunt. Qui enim corporalem manducationem negligit, ejus votum, ejus desiderium caret sua sinceritate atque efficacia; ipse se elongat a fonte vitae, unde illo jugi augmento gratiae caret quod homini (qui semper in gratia crescere debet), et praesertim homini lapsio atque fragili ad vitam spiritualem defendendam est necessarium. (Eluc. 49).

Christus praesens fit non per ejus reproductionem sub speciebus; nam sequeretur esse alium et alium Christum, et in cessatione praesentiae (speciebus corruptis) fieri illius Christi reproductioni aequivalentem destructionem. Neque praesens fit per adductionem; nam sequeretur, Christum transire spatia intermedia; esset etiam distantia inter Christum in coelo et in hac specie, quod importaret realem distinctionem inter Christum ibi et hic. Neque reproductio neque adductio satisfacit documentis ecclesiasticis. Verius dicitur, Christum fieri praesentem per transsubstantionem proprie dictam, qua substantia panis vere transeat in Christum omnino immutatum. Desinit autem substantia panis certe ibi, ubi erât, scilicet sub hac quantitate (scilicet extensione) panis; atqui ejus desitio est realitas, positio Christi; est igitur Christus per ipsam conversionem praesens sub hac quantitate panis. Ex tribus quae huic quantitati competebant, pani inhaerere, pane sustentari, substantiam panis demonstrare et in hoc loco ponere, retinet illa quantitas hoc tertium, sed relate ad corpus Christi, in quod panis transiit; sustentatur autem non per corpus Christi, sed per divinam omnipotentiam. Ex hujusmodi veri nominis transsubstantione sequitur, Christum esse praesentem per modum substantiae, ita ut sit totum in qualibet parte; sequitur etiam, non esse distantiam inter corpus Christi ut localiter existens in coelo et corpus Christi praesens in sacramento neque distantiam inter corpus Christi in una particula Romae et in altera Parisiis. Christus praesens manet, quamdiu forma verificatur »Hoc (quod videtur esse panis) est corpus meum«. Si qualitates quantitatem afficientes ita alterantur, ut panis jam non posset adesse, succedit naturaliter<sup>8</sup> illa substantia, quae qualitatibus alteratis respondeat. — Ex illa transsubstantione veri nominis intelligitur, quomodo sacrificio nostro ipsa hostia coelestis sine ulla sui immutatione offeratur. (Eluc. 50).

Exhibuimus quam brevissime, quae illo opere magnifico late, enucleate, plurimis Traditionis documentis allatis exponuntur. Dicitur auctori a multis. »Nova quaedam infers auribus

<sup>8</sup> Desiderarem hic expressam solutionem difficultatis, quomodo possit in corruptione naturaliter generari substantia subsequens, quum tamen desit materia. Ad eductionem materiae ex quantitate videtur esse specialis Dei interventus necessarius.

nostris«. Novitas autem in re eucharistica nullatenus est semper signum doctrinae minus rectae. Constat enim, in pluribus, quae sanctissimum sacramentum spectant, multos theologos recentiores a doctrina Patrum deviasse. Unde quaedam videntur esse nova, quae reapse sunt vetera, sed fere in oblivionem abierunt. Censeo P. de la Taille in essentialibus tradere doctrinam veram, et in re maximi momenti, scilicet in explicanda unitate sacrificii Christi terrestris et coelestis, sacrificii Christi et ecclesiastici pro acuto suo ingenio invenisse, quod multi frustra quaesivimus. Faxit Deus, ut permulti ex illo opere sapientiam hauriant. Non invenitur alius liber de sacramento sacramentorum, qui tantam lucem diffundat.\*

*Aemilius Springer S. J.*, prof. theol. Sarajevi.

---

\* Libentissime haec expositionem systematicam operis citati attulimus. Quae expositio tamen clarior evasisset majorisque utilitatis lectoribus esset, si ipsi in eadem expositione omnia illa, quae Taille in opere suo citato noviter in lucem edidit, ab illis, quae etiam ab aliis notis theologis propugnantur, bene distinguere et percipere possent. Sic v. gr. necessaria esse videtur adnotatio auctorem Taille in aliquibus sententiam clarissimi cardinalis Billot tenere, quod maxime in explicando modo praesentiae Christi in eucharistia nec non in expositione essentiae sacrificii eucharistici, apparet. (Ad. redac.)